



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Altera Approbatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

A P P R O B A T I O.

Doctissimi Patris GABRIELIS VAZQUEZ è Societate IESV in viginti sex Quaestiones Primæ Partis S. Thomæ Commentarios Regij mihi Senatus iussu commissos, qua potui, euolui diligentia: in quibus non solum quod orthodoxæ fidei, rectæque fidelium institutioni aduersetur, apparet nihil, verum pietatis & eruditionis plena sunt omnia. Nam præterquam quod obscuris, & inuolutis rebus, stylus facilis, & felix auctoris ingenium, lumen inferunt non exiguum; doctrinæ constantia, in inquirenda veritate indefessus labor, & (quod in Theologicis disceptationibus à pluribus desideratum est) in Sanctorum Patrum sententiis non aliena fide referendis (vt plagariis accidit) sed æquo examine, & ad accuratissimè expendendis diligens inquisitio, opus efficiunt, auctore suo non indignum: & (vt mea fert opinio) sacrarum litterarum studiosis, si in lucem exeat, non vulgariter, sed fenore magno profuturum: id enim est, in quo solum, quod tanto latuerit tempore, displicere potest: vindicatum enim forsitan esset in eos, qui vulgari scriptorum existimatione decepti, Augustino, Chrysostomo, Hieronymo, cæterisque Ecclesiæ luminibus, ea manifestè imponunt, à quibus rebus penitus inspectis, & (quod faciliter noster præstat Gabriel) mutuo inter se collatis, quibus eorum abest longissime. In Burgenfi Augustinianorum Cœnobio Calendis Iulij.

F. Gabriel Goldaraz.

A L T E R A A P P R O B A T I O.

Ego Franciscus Porres Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Tolertana, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. Claudio Aquaiua Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt typis mandentur Commentarij, & Disputationes in viginti sex Quaestiones Primæ Partis S. Thomæ compositæ à P. GABRIELE VAZQUEZ Theologo, Societatis IESV, & grauium, Doctorumque hominum nostræ Societatis iudicio approbatæ, in cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, Sigilloque nostro munitas dedimus 16. Martij, Anni 1595.

Franciscus Porres.